

Joachim Stockmann

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Joachimus Stockman, Phil.  
& Med. D. ac Prof. Ad Exsequias Quas ... Dn. M. Joannes Bischovius Ludi  
Rostoch. Conrector Margaretæ Degetoviae, Uxori suae desideratissimæ paratas  
cupit, Omnes omnium ordinum Cives Academicos amanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777439875>

Druck Freier  Zugang




Stockman, J.,  
in  
**M. Degetow.**

Rost. 1650.

27
















63.

PROGRAMMA

Quo

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

JOACHIMUS STOCKMAN,

Phil. & Med. D. ac Prof.

*Ad Essequias*

Quas

*Clarissimus & Doctissimus*

DN. M. JOANNES BISCHOVIUS

Ludi Rostoch. ConRector

MARGARETÆ

DEGETOVIÆ,

Uxori suæ desideratissimæ

paratas cupit,

*Omnes omnium ordinum Cives Academia*

*amanter invitati,*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII. Acad. Typogr.

Anno M. DC. L.





Uerunt populi  
qui curam sepulturæ  
planè abjecerunt, &  
sele indignam existi-  
marunt; quales fuere  
Parthi, Hircani, Scy-  
thæ & alii. In eadem  
hæresi fuit Mecænas,  
qui apud Senecam ait:

*Nil tumultum curo: sepelit Natura relictos.*

E Philosophis fuit Diogenes Cynicus: à quo  
cùm quæreretur, ubi sepeliri uellet, postquam  
naturæ debitum exsoluisset, in agrum, re-  
spondit, me projicite; cumque regeretur,  
fore ut feræ illum & volucres lancinarent;  
Bacellum, intulit ille, prope me, ponite, quo  
irruentes abigam: Rursum illi: at qui nihil  
senties: Quid igitur, inquit Diogenes, oberit  
nihil sentienti ferarum aut volucrum lania-  
tus, facilisq; proinde, ut Anchisæ quoq; Vir-  
giliano, jactura sepulcri. Quanquam verò  
mortuorum nihil interest, sepeliantur an in-  
humati relinquuntur: quanquam etiam, teste  
Augustino, nec obstat justis sepultura nulla,  
vel vilis, nec impiis celebris vel speciosa pro-  
dest: non ideo tamen in Cynicorum senten-  
tiam



tiam pedibus imus, qui nihil suâ referre putabant, super terram an infra eam putrescerent: sed corpora defunctorum, præsertim verò piorum & bonorum, etiam post animæ separationem honore afficienda esse, omninò iudicamus. Romani officia illa, quæ defunctis impenduntur, iusta appellarunt: ut iudicarent scilicet, iure ac meritò fieri, & iustè impendi mortuis, quod vivi de illis, à quibus illi impendebantur, præclarè fuerant meriti. Huc forte Augustinus respexit, cum scripsit corpori humano quicquid impenditur, non esse præsidium salutis, sed humanitatis officium secundum affectum, quo nemo unquam carnem suam odio habuit. Romani verò non solùm iis, qui in bello cecidissent, sed etiam aliis, quemcunq; illi vitæ finem sortiti fuissent, hunc honorem haberi voluerunt: rati, id quod res est, non ob bellicam solùm virtutem, sed etiam ob virtutes togatas & in pace utiles, aliâq; in Rempub. merita, viris bonis laudes deberi. Procedente tempore etiam matronis hic honor additus fuit. Decretus is à Senatu hac de causa, quod cùm in publico deesset aurum, ex quo pacta Gallis merces, quæ erat mille pondo auri, redigeretur, matronæ omnem suum mundum contulissent



sent, ut sacro abstineretur, ut auctor Livius:  
Matronis pro auro ad liberandam à Gallis  
Romam collato gratiæ actæ, honosq; addi-  
tus, ut earum sicut virorum post mortem so-  
lemnis esset laudatio. Idem humanitatis of-  
ficium & Conjugi suæ desideratissimæ persol-  
vit hoc die sed maximo cum dolore M. JO-  
ANNES BISCHOVIUS, Scholæ patriæ Con-  
rector. Quo enim modo ab animo suo, ne  
doleat, impetrabit maritus, cum jacturam fa-  
cit uxoris? quam gemmis & margaritis no-  
biliorem Salomon pronunciat: quam cum-  
navi oneraria, preciosissimas ferente merces,  
idem comparat: quam cum vite generosa &  
fecunda Regius contendit Propheta. Quem-  
admodum, ut gravissimè Homerus scripsit:

*nihil in toto melius vel dulcius orbe est,*

*Unanimes quàm si studiis concordibus unâ*

*Fœmina virq; domo vivant:*

sic nihil contra in vita acerbius, nihil gravius  
& tristius accidere conjugibus potest, quàm  
si ab alterius sinu & complexu suavissimo vio-  
lentiâ fati alter abstrahatur. Naturale quidem  
in parentum pectoribus erga liberos flagrat  
incendium: nullumq; esse affectum, qui vin-  
cat paternum, non ignoramus: verùm &  
contendimus meritò conjugalem flammam  
mul-



multò esse ferventiozem, recteq; à poëta scri-  
ptum: (major.

*Omnia amor magnus, sed aperto in Coniuge*  
Quod Admeti Theſſalorum regis uxor Alce-  
ſtis ſuo ſatis luculento confirmavit exemplo,  
Cùm enim à Diis Admetus obunuiſſet, ut vi-  
cariâ alterius morte ſuam declinaret: ubi dies  
fatalis advenit, nullus nec amicorum, nec li-  
berorum, nec fratrum inventus eſt, qui id fa-  
ceret: ſola fuit Alceſtis uxor, quæ vitæ  
ſuæ diſpendio mariti vitam redemit. Itaque  
non mirum, ſi CL. BISCHOVIUS valde  
angatur animo, & vix moderari poſſit ei do-  
lori, quem ex morte uxoris capit. Fuit enim  
illa non terræ filia, nec parentum vomica,  
nec mariti pœna: ſed ita nata & educata, ita  
primis ſtatim ab annis compoſita, ut conjun-  
ctio ejus, dum viveret, marito fuerit jucun-  
diſſima, divortium morte jam factum longè  
ſit acerbiffimum. Parentes habuit honeſtiſſi-  
mos, Patrem GOTHARDUM DEGE-  
TOVIUM Civem, Cereviſarium & Curia  
Lubecenſis olim Præfectum laudatiſſimum:  
Matrem ANNAM Harberdingſ Reverendi  
Doctiſſimiq; viri M. JOANNIS Harber-  
dingſ ad ædem Spiritus Sancti Paſtoris vigi-  
lantiſſimi ſororem germanam. Avum pater-  
num



num habuit GOTHARDUM DEGETOVIUM Cerevisiarium olim Lubecæ primarium; avum maternum *Jost Harberding* mercatorem atque cerevisiarium Lubecensem. His à parentibus cum anno Christi supra millesimum sexcentesium secundo nata esset, & pietatis ac virtutum semina à patre traxisset, maternoque cum lacte imbibisset: tanto ea studio & cura deinceps suscitavit: ut unà cum ipsa adolescerent, paribusque spatiis ætas & virtus ejus progredereetur. Cùm esset.

*Jam matura viro, jam plenè nubilis annis*  
petita ivit in matrimoniũ cū viro Cl. doctissimoque; DN. M. JOANNE BISCHOVIO anno 1627. d. 22. Octobr. Nec malè cesit hoc conjugium. Scilicet ita sese comparaverant hi conjuges, ut suum uterque quod esset satageret: & uxor aliquando oculis esset capta, vir aurium surditate teneretur: quibus duabus rebus ad rem uxoriã jucundè concorditerque agendam opus esse, Antonius Panormita non minus verè quam scitè pronunciauit. Nec parum ad conjunctionem animorum conservandam faciebant liberi, pignora illa amoris conjugalis & suavissima amicitia uxoria vincula. Et enim enixa est liberos septem ANNAM INGEBURGIM: BARTHOLDUM



DUM: MARGARETAM: ANNAM DO-  
ROTHEAM: CHRISTINAM JOANNEM  
& ELISABETAM. Ex quibus Anna Ingebur-  
gis: Bartholdus: ANNA DOROTHEA &  
Christina naturæ debitum persolverunt, su-  
perstitibus adhuc MARGARETA, JOAN-  
NE & ELISABETA. In re familiari, honesta  
tamen ratione, augenda ita semper sedula  
erat, ut ejus causâ nullam molestiam subter-  
fugeret, nullum onus recusaret, nullum labo-  
rem declinaret. Sed ecce, dum ita in augenda  
re festinat, die ab anno novo proximo incidit  
in febrim, quæ unâ cum perpetuo alvi fluxu  
Eam ita attrivit & enervavit, ut d. XIV. Jan.  
inter amplexus & preces suorum piè ac pla-  
cidè exspiraret, cum quidem in his terris vi-  
xisset annos octo & quadraginta. Intelligit  
nunc, nisi me animus fallit, mæstissimus Pa-  
rens quantum amiserit bonum. Lugebit ta-  
men uxorem suam moderatè, nam & bene il-  
la vixit, & piè obiit. Herodes Sophista Regil-  
læ uxoris mortem tam impatienter tulit &  
impotenter, ut picturas, & ornamenta do-  
mus coloribus denigraret, integumentis pul-  
lis obduceret, lapideq; Lesbio, qui funestus &  
niger, omnia obscuraret. Sed audite levamen  
huic à Lucio Philosopho allatum. Hic cum  
die



die quodam luctus moderationem suaderet  
non persuaderet: & videret pueros in fonte  
ædibus vicino lavantes radículas, rogabat, cui  
eæ pararentur qui responderunt Herodi.  
Tum ille, injuriam, inquit, Regillæ uxori fa-  
cit, qui radículas vescatur albis in atra domo,  
Quod ubi rescivit Herodes, protinus ab ædi-  
bus funestam amovit speciem, & de mænore  
suo non parum remisit. Similem in culpam  
ne incidas, Cl. Dn M. BISCHOFI, modum  
in luctu, quam antumvis gravi & acerbo, tenebis  
& quam nec revocare, nec recuperare his in-  
terris potes Margaritam, ejus desiderium pla-  
cidè feres, ejus memoriam perpetuò conser-  
vabis.


Vos verò, Cives ACADEMIÆ, ut ad medi-  
am primam Exsequias hæcæ frequentes eatis,  
eo quo par est modo amanter rogamus & ad-  
hortamur P.P. sub sigillo Rectoratus An-  
no clò Ioc L. d. XVII. Jan.  
*Convemtus fiet hora media prima in ade  
B. virgini sacra.*





















DUM: MARGARETAM: A  
ROTHEAM: CHRISTINAM  
& ELISABETAM. Ex quibus A  
gis: Bartholdus: ANNA DO  
Christina naturæ debitum per  
perstitibus adhuc MARGARI  
NE & ELISABETA. In re fam  
tamen ratione, augenda ita se  
erat, ut ejus causâ nullam mole  
fugeret, nullum onus recusaret,  
rem declinaret. Sed ecce, dum i  
re festinat, die ab anno novo pro  
in febrim, quæ unâ cum perpe  
Eam ita attrivit & enervavit, ut  
inter amplexus & preces suori  
cidè exspiraret, cum quidem i  
xisset annos octo & quadragin  
nunc, nisi me animus fallit, ma  
rens quantum amiserit bonum  
men uxorem suam moderatè, n  
la vixit, & piè obiit. Herodes So  
læ uxoris mortem tam impati  
impotenter, ut picturas, & or  
mus coloribus denigraret, integ  
lis obduceret, lapideq; Lesbio, q  
niger, omnia obscuraret. Sed au  
huic à Lucio Philosopho allatu

